Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 817
Quelle:
Copyright:

XV. *fol.* 62. p. 2. Excerpta ex *Sermone Socci de S. Matthaeo.* Extant *Sermones* hi 1476. f. primum impreſſi, quam editionem *Sec.* etiamnum XV. plures aliae ſecutae ſunt. Nomen Autoris e *Ciſtercienſi* familia germani prodit *Trithemius* in *Cat. illuſtr. Germ. fol.* 32. *Conradum monachum cenobij fontis ſalutis* (Heilbrun) *in ſueuia* adpellans et ad an. 1390. referens; cur vero *Socci* vel *Succi* dicantur, et a *Trithemio*, et in eorum *Praef.* redditur ratio, quam *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* T. VI. p. 199. repraeſentat.

XVI. *fol.* 63. Tractatus *M. Henrici de Haſſia* de Verbo incarnato in XXI. *Capita* tributus, ſed initio C. I. truncatus, incipiensque nunc a verbis: *miſteriorum celeſtium ſub uelamento ſcripture dei abditorum. O ſi nos qui modo ſumus, haberemus pro explanacionis adiutorio ſaltem illa, que adhuc viuens* (Chriſtus) *a ſuis diſcipulis de uerbo illo interrogatus, ipſe voce tenus expreſſit* &c. Extrema ſunt: *repreſentet omnia complexe et incomplexe, ſicut uerbum diuinum.* Et rubrica: *Explicit tractatus de verbo incarnato editus per Reuerendum Magiſtrum Hainricum de Haſſia.* Cl. *Bern. Pezius* Tractatum hunc in *Bibl. Doroth. Viennae* et *Gemnicenſi Carthuſ.* in *Auſtria* vidit inſcriptum *de Verbo in Divinis*, hoc initio: *Quis mihi det verbum* &c. ſubjecta nota anni 1393. teſte *Diſſert. Iſag. in T. I. Theſ. Anecd.* p. 78. A *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. Lat.* inter Opera *Gerſonis* editus dicitur, quod de edit. *Colon.* 1484. f. intelligendum putem, quae ad manum non eſt.

XVII. *fol.* 67. p. 2. Excerpta ex *Sermone Socci de S. Bartholomaeo* in illud *Luc.* 22. *Uos eſtis, qui permanſiſtis mecum* &c.

XVIII. *fol.* 69. Poſtilla *Joh. Milicii* in Evangelia, quae leguntur in feſto ſanctae *Margarethae* virginis, et ſancti *Johannis Baptiſtae.* Prior incipit: *Ewangelium preſens ſummarie dicit virgines que ſumpſerunt oleum* &c. Altera: *Locuturi et audituri de ſolempnitate preſenti notare debemus tempus* &c. *Johannis Militii* nihil unquam lucem adſpexiſſe puto.

XIX. *fol.* 73. *Incipit reuerendi Magiſtri Hainrici de Haſſia Tractatus de contractibus.* Eruditus et utilis hic Tractatus II. *Partibus* definitur, quarum prior *Capita* cenſet L. altera XXXVII. Inſcriptio C. I. eſt: *De Jugo laborum originali.* Initium: *In ſudore vultus tui* &c. *Tanta erat illius prime transgreſſionis culpa* &c. Finis totius Operis: *ne ex ſubita mutatione talium peiora fierent.*

Deficiunt vires, hinc pro me vade libelle.
Certifica dubios, contractus argue prauos.